

nes habemus, quo pacto efferrī & inaniter gloriari possumus? Quid vero miseriarum omnium extrema, omniumque terribilium ultima mors? Quantum hæc ingentes etiam hominum spiritus extenuare atque demittere potest; quum ii attente considerant, quo tandem omnis humana potentia, quo ingentia imperia & sceptrā cadant. Hoc plane, ut multa alia argumenta præteream, vel unius Cyri Persarum regis epitaphium satis indicat: illius, inquam, Cyri, de quo existat magnificentissimum illud Isaia vaticinium: (a) *hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, &c.* Hic igitur, posteaquam Assyriorum regno potitus esset, & monarchiam ab Assyriis ad Persas transtulisset; tandem naturæ concedens, hoc sibi tumulo epitaphium inscribi præcepit:

O VIR, QUICUMQUE ES, ET UNDECUMQUE ADVENIS; NEQUE ENIM TE ADVENTURUM IGNORAVI: EGO SUM CYRUS, QUI PERSIS IMPERIUM CONSTITUI. PUSILLUM HOC TERRÆ, QUO MEUM TEGITUR CORPUS, MIHI NE INVIDEAS.

Quis igitur in his pauculis

verbis non aperte humanæ gloriæ atque potentia inane videat? Si enim hic humanæ jactantia finis est; quid habet pulvis & cinis, cur insolescere atque efferrī debeat? Quid vero ille eorundem Persarum dominor Alexander, cujus superbia vix totus orbis satis erat, ut de eo Poëta cecinit:

Unus Pellæo juveni non sufficit orbis,

quem tandem vitæ exitum habuit? nonne eum, qui pænetumuli honore caruisse videatur? Unde ejus mater Olympias, quum filii cadaver inseputum jacere vidisset, inter materna lamenta exclamasse dicitur: o fili! tu qui studebas cæli particeps esse, huc toto impetu properans, ne iis quidem potiri potuisti, quæ sunt mortalium omnium communia, terra, ac sepultura. Alexander vivus ambiebat divinos honores, defuncto nec ille contigit ultimus honos, quem quivis homo persolvit homini, quamlibet humili. Narrant enim Q. Curtius & Plutarchus, Alexandri corpus multis diebus inseputum jacuisse, ob graves procerum concertationes de successione principatus.

Quisquis igitur, fratres, hæc omnia

(a) *Isai. 45. 1.*

omnia prudenter consideraverit, facile omnem a se animi elationem atque fastum excutiet, & ita demum insignem illam humilitatis virtutem assequetur, qua instar parvuli effectus, in regno cælorum magnus fiat.

Huic autem considerationi illud etiam adjungere curabit, ut humilitatis amator ab omnibus admoneri, ab omnibus corripi paratus sit. Hoc enim sanctorum virorum proprium fuit, ut quo quisque sanctior atque sapientior esset, hoc magis ab omnibus corripi atque moneri paratus inveniretur. Hinc D. Gregorius: (a) *ab omnibus, ait, corripi, ab omnibus emendari paratus sum: & solum mihi amicum aestimo, per cujus linguam, ante apparitionem districti judicis, mea maculas mentis tergo.* Sic ergo magnus ille doctor Augustinus: *ego, inquit, & senex, & episcopus, paratus sum a puero doceri.* Quid hac cordis humilitate submissius? Non enim quisquam de populo hoc dicit, sed ille, de quo dictum est: *legi Dei deesse, quidquid Augustinum ignorasse contigerit.* Hac igitur ratione sexagenarius Augustinus in evangelio Tom. III.

licum parvulum conversus est, dum se a parvulo erudiri paratum exhibet. Sic tamen in hac parte humilitatem colere debemus, fratres, ut meminerimus, scriptum esse: (b) *noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.* Et illud item: (c) *esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui.* Sic enim & humilitatem conservabimus, & virtutis & constantia firmitate retenta, nequaquam circumferemur omnivento doctrina.

Deinde illud etiam præstare debet, quisquis hujus eximia virtutis cultor & amator est, ut nequaquam humiliora officia, humilioraque loca & abjecta dedignetur. Ut enim D. Bernardus ait: *humiliatio via est ad humilitatem; sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam.* Si ergo virtutem appetis humilitatis, viam non refugas humiliationis. Humiliationis autem nomine vir sanctus non solum humiliora loca & officia, sed paupertatem etiam, & angores, & lacrimas, ceterosque corporis & animi labores intelligit. Cujus verbi significatione Apostolus usus est, quum ait: (d) *ne iterum, quum*

E

(a) *Gregor. in Epist.* (b) *Eccli. 31. 11.* (c) *Eccli. 5. 12.* (d) *2. Corinth. 12. 21.*

venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his, qui peccaverunt, &c. Ut autem humiliatio ad humilitatem: ita contra secundæ res, honores, & potentia, ad superbiam & factum viam muniunt. Hinc regius vates: (a) *in labore, inquit, hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia, aperti sunt iniquitate & impietate sua.* A quo quidem factu longissime se abesse idem vates profitebatur, quum diceret: (b) *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Hoc igitur modo potentissimus hic rex se ad parvuli mensuram contrahebat, dum & intus corde nihil de se magnum sentiebat, & foris se ad ima demittens, nudus ante arcam Domini saltare non erubescibat. Micholî autem uxori hanc in rege humilitatem objurganti respondit: (c) *„vivit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius, quam patrem tuum, & quam omnem domum ejus: & præcepit mihi, ut essem dux super populum Domini in Israël: & ludam, & vilior fiam plus*

„quam factus sum: & erò humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo. „

His igitur rationibus, fratres, hanc virtutem, quæ omnium aliarum radix, fundamentum & custos est, assequemur, si his etiam assidua orationis studium adjungamus, qua illam a Domino virtutum continuis votis ac desideriiis postulemus. Orationis enim virtus quam latissime patet, & ad omnia valet. Hinc quidam ex illis eremi patribus, ut Theodoretus in historia religiosa memorat, medicos ajebat variis pharmacis ad varios morbos curandos uti: at fidelem & devotam orationem ad omnes animorum morbos curandos, & virtutes adipiscendas commune remedium & medicamentum esse. Per hanc igitur nos tamquam parvulos ante divinæ majestatis conspectum exhibeamus, profitentes, nos (d) sufficientes non esse cogitare aliquid ex nobis, tamquam ex nobis, sed omnem sufficientiam nostram ex Deo esse. Hoc enim de se penitus cognitum & exploratum habere, & sic de se demisse atque humiliter sentire, id demum est evangelicum parvulum esse. Sed quia diutius for-

(a) *Psal. 72. 5. 6.* (b) *Psal. 130. 1.* (c) *2. Reg. 6. 21. 22.* (d) *2. Cor. 3. 5.*

tasse, quam par erat, in hoc parvulo effingendo immorati sumus; quid de his, qui hunc talem parvulum offenderint, Dominus dicat, videamus.

§. II.

Quis, inquit, scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, &c. Quia Dominus caritate hujusmodi parvulos amplectatur, aperte his verbis indicat, quum & juvenibus maximum præmium, & nocentibus, sive scandalum inferentibus, maximum minetur supplicium: de quo multa, & quidem gravissima, in sacra hujus diei lectione persequitur. Quæ res non modo horum parvulorum dignitatem, sed immensam Domini bonitatem, & erga genus hominum caritatem, non obscure declarat. Sicut enim admiranda illa hospitalitatis & misericordiæ commendatio, quam in extremo judicio prolaturus est, eximiam ejus in homines caritatem & misericordiam ostendit, quæ tam magna præmia, pauperum miseras sublevantibus, constituit: ita non minus eandem caritatem demonstrat, quum magna supplicia no-

centibus, & scandalum parvulis inferentibus, comminatur.

Atque ut mirabilem concordiam inter evangelicam & apostolicam doctrinam pernoscat, legite, quibus licet, Pauli epistolæ ad Romanos & Corinthios; in quibus Apostolum adversus scandalum peccatum tonantem & fulminantem videbitis: inter alia vero sic ait: (a) *si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem: & iterum: (b) bonum est mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.* Gloriam autem suam appellat, nullum offendiculum præbere evangelio Christi. Jam vero qualis illa Apostoli vox, quamque apostolico pectore digna: (c) *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? ille enim scandalum, ego incendium patior.* Cujus autem periculi sit, infirmis hominibus scandalum, hoc est, peccati occasionem, præbere, idem declarat his verbis: (d) *sic autem peccantes in fratres & percutientes conscientiam infirmam, in Christum peccatis.* Christus autem Dominus peccatum hoc inultum abire non sinit;

E 2

quin.

(a) *1. Corintb. 8. 13.* (b) *1. Corintb. 9. 15.* (c) *2. Corintb. 11. 29.* (d) *1. Corintb. 8. 12.*

quin & illud frequenter præfenti vindicta plectere solet. Sic enim sororem B. Catharinæ Senensis, Bonaventuram nomine, e medio sustulit, & gravissimas igne purgatorio pœnas pendere coëgit, quod multa vi precum Christi virginem ad faciem ornandam impulerit, quod eam ad conjugii spem, & mundi amorem alliceret. Sed aliud tamen hujus rei multo formidabilius, ac pœne incredibilius exemplum ex D. Hieronymo hoc in loco referam. Is igitur in epistola ad Latam sic ait:

Prætextata, nobilissima quondam femina, jubente viro Hymetio, qui patruus Eustochii virginis fuit, habitum ejus cultumque mutavit: & neglectum crinem, mundano more pexuit, vincere cupiens & virginis propositum, & matris desiderium: & ecce tibi eadem nocte cernit in somnis, venisse ad se angelum, terribili voce minitantiem pœnas, & hæc verba frangentem: tu ne ausa es, viri imperium præferre Christo? Tu caput virginis Dei tuis sacrilegis atrectare manibus, quæ jam nunc arefcunt, ut sentias excrucianta quid feceris: & finito mente se quinto ad inferna duceris.

„ Sin autem perseveraveris in
 „ scelere, & marito simul or-
 „ baberis, & filiis. Omnia per
 „ ordinem expleta sunt, & se-
 „ ram miseræ pœnitentiam ve-
 „ lox signavit interitus. Sic ul-
 „ ciscitur Christus violatores
 „ templi sui, & sic gemmas &
 „ pretiosissima ornamenta de-
 „ fendit. Et hoc retuli, non
 „ quod insultare velim calami-
 „ tatibus infelicitum, sed ut
 „ moneam, cum quanto metu
 „ & cautione servare debeas,
 „ quod Deo spondidisti. „ Ha-
 „ ctenus Hieronymus. Quis igitur,
 „ dum hæc audit, non perhorrescit, si se hujus criminis reum aliquando fuisse cognoscit? Nam de hujus adeo tremendæ historiæ fide dubitare non licet, quum ejus D. Hieronymus & scriptor, & oculatus testis exstiterit.

Quisquis igitur hæc ipsa diligenter animadvertit, minime mirabitur, quod post hæc Salvator inferat: *si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te.* Hoc in loco pedum & manuum nomine conjunctissimos nobis homines, maximeque necessarios, qui nobis pro pedibus & manibus sunt, accipere debemus: quorum si consuetudo, si familiaritas, si dicta factave illorum

rum ita mentem nostram perturbant, ut vel nos a studio rerum divinarum, vel ab amore in Deum avocent, vel ad inhonesta & inconcessa rapiant, gladio divini timoris abscindendi atque repellendi sunt. Hic enim est spiritualis ille gladius, de quo Salvator ait: (a) *non veni pacem mittere in terram, sed gladium.* Non contentus autem pedum manuumve abscissione, oculum etiam effodiendum docet, quum subdit: *si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Quæ quidem sententia Domini ad spirituales etiam rationis humanae oculum referri debet. Quum enim hic oculus vel fidei dogmatibus contradicit, vel miser homo, calamitates suas cum aliorum secunda fortuna comparans, de divina providentia & justitia tentari incipit, quum inopiam suam cum aliorum opibus comparat; tunc spiritualiter oculus iste nequam eruedus, & in obsequium fidei captivandus est, quæ fides Dei justitiam & æquitatem defendit, auribusque nostris, quod olim Petro dictum est, insurrare videtur: (b) *quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.* Scivit, posteaquam e-
 Tom.III. E 3 riif-

vis excessit, Lazarus, quam gloriam mendicitas & ulcera illa sua sibi pepererint; quanta vero diviti epuloni splendida mensa & purpurea vestis supplicia comparaverint.

Demum post tot minas, totque documenta ad vitandum scandalum a Domino data, quasi parum esset, quod hactenus dixerat, iterum perorata causa, dictorum memoriam renovat, dicens: *videte, ne contemnatis unam ex his pusillis.* Dico enim vobis, quia angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est. Hactenus quidem Dominus exposito periculo nostro, nunc proposita parvulorum dignitate, a scandali maleficio deterret: quod videlicet tantæ curæ sint Patri caelesti, ut supernis illis spiritibus, qui splendidissimam ejus faciem semper intuentur, eorum custodiam atque tutelam commiserit. Summus enim ille rerum moderator ac conditor Deus, qui cælum terris miro caritatis modo conjunxit, quique hanc tantam rerum universitatem ita devinxit, ut supera infimis, per ea quæ in medio posita sunt, vim suam communicarent, ut ita tandem ex tam multis va-

(a) Matth. 10. 34. (b) Joan. 13. 7.

riisque rebus, tamquam ex diversis sonorum intervallis pro certa ratione distinctis, consona quaedam rerum universitas surgeret, is utique sublimem illam angelorum naturam cum humana ita colligavit, ut qui in caelis divinae pulchritudinis speciem contemplantur, in terris ad hominum custodiam destinarentur.

Quod si eorum, quod ad nostri custodiam attinet, officia quaeras, multa plane sunt. Primum, corpora nostra ab injuriis daemonum tuentur: qui quum capitali nos odio prosequantur, eadem mille modis vexarent atque laniarent, nisi eorum furori, angelorum praesidia obsisterent. Ideoque nihil in hac parte adversum nos possunt, nisi quod illis Dominus posse permiserit. Quod facile illa beati Job vexatio declarat, in quem perfidus ille hostis nihil potuit, nisi quod Dominus voluit. Idem etiam sub imagine quadam videre licet in eo leone, qui deceptum prophetam ex voluntate Domini interemit: qui tamen neque corpus ejus, neque asinum, cui insidebat, tangere ausus est, sed juxta utrumque

esuriens & innocens leo, ut praedae suae custos, non ut devorator, inventus est. Neque enim aliud in corpus viri Dei potuit, quam quod illi Dominus concessit. Quod idem de leone illo, qui (a) *rugiens circumcivit quarens quem devoret*, intelligendum est. Hanc autem angelorum custodiam regius propheta declarat, quum ait: (b) *immittit angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos*. Pro, *immittit*, autem divus Hieronymus ex Hebraeo significantius vertit, *castrametatur angelus Domini in circuitu timentium eum, &c.* Cujus verbi vim sponsum in Cantic. exprimit, quum ait: (c) *quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum?* Vidit hoc plane puer Elisei, quum totum montem igneis curribus plenum in circuitu Elisei (d) demiratus est.

Diligentius tamen angeli piorum animas a peccato, quam a morte corpora, servant. Testatur hoc illustris illa femina Judith, quae, Holophernis abscissum caput secum gestans, hoc de angelo suo testimonium tulit: (e) „vivit autem, ipse Dominus, quia custo-

(a) 1. Petr. 5. 8. (b) Psalm. 33. 8. (c) Cant. 7. 1. (d) 4. Reg. 6. 17. (e) Judith 13. 20.

„divit me angelus ejus, & hinc abeuntem, & ibi comorantem, & inde huc revertentem: & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me vobis gaudentem in victoria sua, in evasione mea, & in liberatione vestra. Nec a peccatis solum, sed ab occasionibus etiam, per quas homines in peccatum labi possent, sollicitè custodiunt. Quod non obscure regius vates designavit, quum ait: (a) *angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* In manibus autem portare, est, peccandi occasiones abscindere, ne in peccati praecipitium incidamus. Idem etiam hostis antiquus testatur, quum, de B. Job ad Dominum loquens, ait: (b) *nonne tu vallasti eum, & omnem domum ejus?* hoc est, omnes aditus occlusisti, ne ego in illum irrumperem, illum laedere, aut in peccatum praecipitare possem? Ut enim vitrea vasa, quae fragilia sunt, mollibus integumentis, ne ad duriora corpora allidan-

tur, atque frangantur, conservare solemus: ita misericordiae vasa Dominus angelica protectione sepit, ne ulla vis eorum teneritudinem laedere aut violare queat.

Est etiam curae beatis istis spiritibus, orationes & elemosynas, piaque opera nostra communi Domino praesentare. Quod satis aperte Raphael angelus Tobiae significavit, quum dixit: (c) *quando orabas cum lacrimis, & speliebas mortuos, & relinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* De hoc autem angelorum ministerio sic Joannes in Apocalypsi: (d) „venit, inquit, angelus, & stetit ante altare, habens turibulum aureum: & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensurum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo.

Quum ergo beati isti spiritus piorum vota & preces esse Deo gratissimas intelligant, li-

E 4

ben-

(a) Psalm. 90. 11. (b) Job 1. 10. (c) Tob. 12. 12. (d) Apocalyp. 8. 3. 4.

